

De resurrectionis, & iudicii conditione.

Postremo de conditione resurrectionis, & modo resurgentium, nec non & de iudicii, & misericordiae qualitate breviter disserendum est. Omnibus questionibus quae de hac re moveri solent, satisfacere non valeo: resurrectionem tamen carnem omnium quicumque nati sunt, atque nascentur, & mortui sunt, & morientur, nullatenus ambigere debet Christianus. Aut enim Isaias, cap. xxvi. 19. Resurgent mortui, & resurgent qui erant in sepulchris: (1) & Apostolus (I. Thess. iv. 12.) Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent (scilicet resurrectionis.) Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus, non praeviemus eos, qui dormierunt: quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de caelo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquamur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera; & sic semper cum Domino erimus. His verbis & veritas resurrectionis, & causa, atque ordo resurgentium praclarissime insinuat.

De voce tubae.

Causa enim resurrectionis mortuorum erit vox tubae, quae in adventu iudicis ab omnibus audietur, & cuius virtute excitabuntur mortui, & de monumentis resurgent. Unde Propheta (Psal. lxxvii. 34.) Dabit voci suae vocem virtutis, id est effectum resuscitandi mortuos. Et Joannes Evangelista, cap. v. 28. Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei; & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii. Si vero quaeritur, cujus, vel qualis erit vox illa, Apostolus dicit, quod erit Archangeli, id est ipsius Christi, qui est Princeps Angelorum. Vel vox erit alicujus, vel plurium Angelorum. Eademque dicitur tuba, quia erit manifesta; & novissima, quia post eam non erit alia. Haec tuba, ut ait Augustinus (epistola cxx. ad Honoratum cap. xxxiv.) est clamor de quo dicitur in Evangelio (Math. xxv. 6.) Media nocte clamor factus est: ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tubae nomine aliquid evidens, & praclarum signum intelligitur: quod vox Archangeli, & tuba Dei ab Apostolo dicitur; & in evangelio vox Filii Dei, & clamor appellatur: quod signum mortui audient, & resurgent.

De media nocte.

Media autem nocte dicitur venturus, ut ait Augustinus (ubi supra) non pro hora temporis, sed quia tunc venit, cum non speratur. Media ergo nocte, scilicet cum valde obscurum erit, id est occultum, venit: dies enim Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Potest tamen non incongrue, intelligi mediae noctis tempore venturus: quia, ut ait Cassiodorus (super Psalm. cxviii.) hoc tempore primogenita Aegypti percussa sunt (Exod. xii.) quando etiam sponsus venturus est. Pluribus etiam locis contestantur auctores, quod adventus Christi dicitur dies Domini, non pro qualitate temporis, sed rerum: quia tunc cogitationes, & consilia singulorum patebunt. Unde in Daniele, cap. vii. 9. Verus (2) dierum sedit, & libri aperti sunt coram eo. Libri sunt conscientiae singulorum, quae tunc aperientur eis, vel aliis: & tunc implebitur: Nihil occultum quod non reveletur. Matth. x. 26. Adveniente autem summo iudice, non solum aeris tenebrae illuminabuntur, sed abscondita cordium manifestabuntur. Virtute ergo divina fiet ut cuique opera sua bona, vel mala cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur: ut accuset, vel excuset hominem conscientia, eaque recte, damnetur, vel salvetur.

De memoria electorum, si tunc praecedentia mala teneat.

Hic quaeritur, utrum electis tunc adsit memoria praecedentium malorum, sicut bonorum. Quaedam auctoritates videntur tradere, bonos non habituros tunc memoriam praecedentium malorum, id est peccatorum, vel tormentorum. Ait enim Isaias, cap. xxxv. 17. Ego creo caelos novos, & terram novam; & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor; sed gaudebitis in aeternum. Item ibid. 16. Oblivioni traditae sunt angustiae priores, & absconditae ab oculis nostris. Quae de futuro exponens Hieronymus ait: Oblivioni tradentur priora mala, quia forsitan in futuro pristinae conversationis memoria omnino delebitur, succedentibus bonis aeternis, ne sit pars malorum prioris angustiae memorari. Sed haec, & similia possunt accipi sic ut non excludant memoriam praecedentium malorum, sed ex ea molestiam, & laesionem amoveant. Non enim eorum memoria Sanctos contristabit, vel eorum beatitudinem obscurabit, sed gratiores Deo reddet. Unde super Psalm. lxxxviii. ait Gregorius: (a) Quomodo in aeternum misericordias Domini canit qui miseriae non meminuit? Quomodo autem plena beatitudo, si memoria reatus mentem tangit? Sed saepe laeti trisium meminimus, & sani dolorum meminimus sine dolore, & inde amplius laeti, & grati sumus. Ex his apparet quod si priorum malorum memoriam Sancti habebunt in futuro, non eis tamen erit ad poenam, vel gloriae derogationem, sed ad gratiarum actionem. Si vero quaeritur, utrum peccata quae fecerunt electi, prodeant tunc in notitiam omnium, sicut mala damnandorum omnibus erunt nota; non legi hoc expressum in Scriptura. Unde non irrationabiliter putari potest, peccata hic per poenitentiam tecta, & deleta, illic etiam regi aliis; alia vero cunctis propalari.

(1) Juxta Septuaginta, ubi Vulgata: Vivent mortui tui, in effecti mei resurgent. (2) Vulgata: Antiquus dierum. Ex Edit. P. Nicol. (a) Nempe in Glossa super illud: Misericordias Domini in aeternum cantabo, ubi nomine Cassiodori refertur, sed ex Gregorio sumptum est Lib. IV. Moral. cap. xxxi.

De his qui vivi reperientur.

Quaeri solet, utrum illi quos vivos inveniet Christus, numquam omnino morituri sint, an ipso temporis puncto quo rapiuntur obviam Christo, ad immortalitatem mira celeritate sint transiuri. Non enim dicendum est fieri non posse ut dum per aera in sublime portantur in illo spatio & moriantur, & reviviscant. Ad hunc autem sensum quo aestimemus illos in parvo spatio & passuros mortem, & accepturos immortalitatem, Apostolus nos urgere videtur: ubi dicit (I. Corinth. xv. 21.) Omnes in Christo vivificabuntur: (1) & alibi (ibid. 36.) Quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur. Cur autem nobis incredibile videatur illam multitudinem corporum in aere quodammodo seminari, atque ibi protinus immortaliter, & incorruptibiliter reviviscere, cum credamus in ictu oculi futuram resurrectionem, & (2) in membra sine fine victura, tanta velocitate raditurum antiquissimorum cadaverum pulverem? Sed vellem de his potius audire doctores. Si ergo Sanctos qui reperientur, Christo veniente, viventes, eique obviam rapiuntur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, & ad eadem mox immortalia redituros; nullas in verbis Apostoli patiemur angustias, generaliter accipientes illud quod dictum est (I. Corinth. xv. 51.) Omnes quidem resurgemus (scilicet tam boni quam mali) sed non omnes immutabimur, scilicet in solemnitate resurrectionis. De hoc etiam Ambrosius (Ambrosiaster in I. Thess. iv.) ait: In ipso raptu eorum qui vivi reperientur, mors erit, & resurrectio, ubi anima quasi per soporem egressa de corpore eidem in momento (3) reddetur. Contra vero scribens ad Marcellam Hieronymus testari viderur, dicens, quosdam in fine saeculi adveniente Christo non esse morituros, sed vivos repertos in immortalitatem repente mutandos. Horum autem quod verius sit, non est humani iudicii diffinire.

Quomodo intelligitur Christus iudex vivorum, & mortuorum.

Hic autem adjiciendum est, dupliciter intelligi quod dicitur: Christus iudicaturus est vivos, & mortuos. Aut enim vivi accipiuntur qui in adventu eius vivi reperientur, licet in raptu moriantur, & mortui qui ante decesserant; vel vivi, & mortui quidem accipiuntur iusti, & iniusti.

Quomodo omnes incorrupti.

Cumque ex praedictis sane credi valeat omnes resurrecturos, credendum est etiam quod omnes resurgent incorrupti, non utique impassibiles, quia mortem patientur aeternam; sed sine diminutione membrorum omnia humani corporis habituri membra, nec tamen gloria, ac (4) spe impassibilitatis induentur.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister de sacramentis quae pertinent ad Ecclesiae praesentem statum, in parte ista incipit determinare de his quae pertinent ad Ecclesiae ultimum terminum, scilicet de resurrectione, & de remuneratione. Dividitur ergo haec pars in duas. In prima parte determinat ea quae pertinent ad corporum resurrectionem; in secunda ea quae pertinent ad remunerationem, ad quam etiam resurrectio ordinatur, xlv. dist. ibi: Praeterea sciendum est, quod omnes animae (ut ait Augustinus) cum de hoc saeculo exierint, diversas habent receptiones. Prima in duas. In prima determinat de resurrectione, & circumstantiis ejus; in secunda de qualitate resurgentium, xliv. dist. ibi: Solent autem percontari, & quaerere, an in eadem aetate, & statura corporis omnes resurrecturi sunt. Prima in duas. In prima probat resurrectionem futuram esse. In secunda determinat quasdam resurrectionis circumstantias, ibi: Causa enim resurrectionis mortuorum erit vox tubae. Et circa hoc tria facit. Primo determinat resurrectionis causam; secundo tempus, ibi: Media autem nocte dicitur venturus; tertio resurrectionis terminum, ibi: Quaeri solet, utrum illi quos vivos inveniet Christus, numquam omnino morituri sint. Circa secundum duo facit. Primo determinat resurrectionis tempus. Secundo ex dictis movet quandam dubitationem, ibi: Hic quaeritur, utrum electis tunc adsit memoria praecedentium malorum. Tertia etiam pars dividitur in duas. In prima determinat terminum resurrectionis a quo, scilicet a morte; secundo terminum ad quem, scilicet integritatem corporis, ibi: Cumque ex praedictis sane credi valeat, omnes resurgent incorrupti, non utique impassibiles. Circa primum duo facit. Primo inquiri, utrum omnes moriantur, ut a morte resurgere possint. Secundo explanat quoddam quod circa determinata dubium esse posset, ibi: His autem adjiciendum est.

QUESTIO I.

Hic quaeruntur quinque. Primo. De ipsa resurrectione. Secundo. De causa ejus. Tertio. De tempore. Quarto. De termino a quo erit resurrectio, quia de termino ad quem in sequenti dicitur. Quinto. De memoria, & cognitione resurgentium.

ARTICULUS I.

Utrum corporum resurrectio sit futura.

IV. cont. Gent. cap. lxxxix. lxxx. & lxxxi. & I. Corinth. xv. lect. viii.

- 1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod corporum resurrectio non sit futura. Job xiv. 12. Homo, cum dormierit, non resurget, donec atteratur caelum. Sed caelum nunquam atteretur: quia terra, de qua minus videtur, in aeternum stat; ut patet Eccles. i. Ergo homo mortuus nunquam resurget. 2. Praeterea. Dominus Matth. xxi. 32. probat resurrectionem per auctoritatem illam: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob: quia non est Deus

(1) Nicolai & ibidem. (2) Al. in memoria. (3) Al. reddatur. (4) Forte specie.